Puteano. Nobilissime ac Doctissime Domine.

Exercitus diu multumque earum occupationum, quarum neque tranquillitatem rumor latuit, infinitâ mole, quasi e turbatæ mentis delirio, paulatim ad me, et amicos meos redeo. Te in primis, quem revereri et amare constanter statui; nec minore cultu aut amore, quam qui immortalibus debeatur, si ἐναργῶς versari velint. Talem enim te mihi non falso aspectu repræsento. Durabis, magne virorum, et superstitem omni ævo relicturus es excelsi nominis virtutem, cujus in te illustres ramos, alibi, quam in epistolam recensendi copiam et facultatem dari velim. Silui sanè ad ternas tuas; et miratus es, nec miror, sed hoc mirari te magis postulo, quod vel ternis tuis adhuc tantillum regero. adeo de pistrino utrumque pedem nondum extuli, et sequitur me rota mea, et quòcumque feror, illa, quæ post equitem sedet atra, præsto est. Itaque si hoc nescis, non is sum, a quo reciprocæ scriptionis aut ejusmodi officiorum rationem severè exigas. Is autem, qui et silentio subinde æstimari posse amicitiam, et hos candidos affectus peto. illam, inquam amoris fiduciam quæ vulgatis adminiculis superstitiose fulcitur. Quod autem castrensibus Iambis ad Wendelinum ineptiendi otium inveniri potuerit, non patiar objici. scis quo et poetastri sæpius subito furore insaniant. Illi me non rarò et ex improviso, et incautum paroxysmi occupant. Nec repugnandi locus est, nisi quid ejicio quietem animi interruptam frustrà revoco. At mox a partu meo rideo, et hoc indignor pari ~~facilitate~~ necessitate hominem factas mulieres Nephriticos lapilla eniti! Sic in manus meas Wendelinus incidit, et si quid invides, cavere moneo, ne quid olim simile patiaris. In Puteanis fratribus, et quos Lovaniæ porrò affines obvios habui, candorem illum tuum, quo (non diffiteor) æquè mihi ac summâ eruditione clarus es, videre mihi visus, et exosculatus sum. In Genero nihil minus, quem frustrà nuper commendasti.

cum

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 54v-55r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/745

cum scilicet posset maximè i Mone universos et persuade singulis et inculca, sicubi operâ meâ juvari possint, experturos ubique quam indubitato jure totus sim ipsorum, qui certissimo meritissimoque

Totus tuus.

Hagæ Comitis Natali Dni CIↃIↃCXXXII C. H.

Addo aliquid Barlæi, in quo tam grandis epistolas nauseam deponas.

(169)

Fuldeno.

Si conjicere per te nequis, vir Amplissime, quæ tam tardæ scriptioni meæ causa sit, ad Puteanum rogo te remitti patiaris summum virum, quo citra invidiam, præsenti non fruimur. Illi ego tam prolixus intermissi apud vos officii rationes reddo, ut, si quid erga omne Lovanium peccaverim, tot verbis videar posse luere. Tantum abest, ut de humanitate tuâ dubitem, ac in solutum acceptura sit tam bonum nomen. Quam velim pari dellegatione illo me liberari posse, quod muneribus tuis continue gravi ingraté contraho! et Puteano placeat concurrere inopi amico, non ære suo, sed facundiâ, quam in promptis ille semper, tu auro mecum chariorem habes! sed in mentem festinanti paupertas ipsa non venit, et mendicus nempè non fui, quia cur hoc essem tantisper non occurrit, quam in alterius debiti solutione versarer, in horam dives, et futuri, ut solemus inter præsentia ne quidem capax. Ergo jam de privato meo sic habe: accidere nihil mihi acceptius posse ijs donis, quæ et ab amicâ mihi manu profecta sunt, et ab eâdem tuâ manu doctissimâ tersissimâque universo offeruntur: instituto sanè tam utili (et assentari planè non libet) ut asserere quotidie inter literatos non dubitem, neminem te prolixius, ipsâ hâc tam succulentâ brevitate, meruisse de parum hactenus felici Imperatore, quem certatim innumeri tenebriones nugacissimis ambagibus implicitum iuere, solliciti, ut jocari soleo, ne nimium illi terra levis sit, et futilibus chartis usque obruendum rati, ne fortè exsurgat impatiens et imprecatum redeat quas mereri diras, mortalium omnium ingratissimi hæredes. Si librorum censor sim, ita publicè proloquar. Nunc in sinu tuo hæc

depono

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 54v-55r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/745